



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 21. Trivultii, Trimolii, & Franciotti de Ruvere Cardinalium fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. & unum : sepultus est in Ecclesia SS. A.C. 1508. duodecim Apostolorum, ubi hodiedum ejusdem sepulchralis inscriptio legitur.

§. XXI.

*Trivultii, Trimollii, & Francioti
de Ruvere Cardinalium
fata.*

*Raynald. hoc
ann. n. 24.
Ciacon. l. c.*

Tertius inter Purpuratos, qui mortalitatem exuerunt, erat Antonius Trivultius Petri Trivultii filius, ac Theodori Franciæ Marescalli frater, qui primo Rotæ Romanæ Auditor, postea Anno salutis millesimo quadringentesimo octogesimo septimo Comensis Episcopus nominabatur. Hic jussu Joannis Galeatii Mediolanensis Ducis, cui a secretis erat, Orationis munere primum apud Venetos, dein apud Neapolitanos functus est, ac regiam inde Sponsam Isabellam Arragoniam Ferdinandi Regis Neptem Mediolanum deduxit: postquam vero Galli Mediolanum occupaverant, ipse eorum partes secutus, ad preces Galliarum Regis ab Alexandro VI. summo Pontifice Anno Christi millesimo quingentesimo Cardinalium Senatui adscriptus fuit. Die vero decima octava Martii annos natus quinquaginta & unum ex nimio animi dolore, quem ob Ludovici Trivultii fratris sui in ætatis flore defuncti obitum

tum conceperat, & ipse supremum vitæ Sæcul. XVI.
A.C. 1508.
diem egit.

Pari fato Joannes Trimollius Anno Salutis millesimo quadringenteumo nonagesimo vivis ereptus est. Is Ausciorum Archiepiscopus, necnon Pictaviensis Præsul Anno quingentesimo quinto supra millesimum creatus, demum a Julio II. Pontifice die quarta Februarii Anno Salvatoris millesimo quingentesimo septimo Bononiæ renuntiabatur Presbyter Cardinalis, anno autem sequenti, ut testatur Raynaldus, die vigesima secunda Julii occubuit, sepultus in Ecclesia Collegiata S. Mariæ ad castrum Thoracense. Eodem anno Galeottus Franciottus de Ruvere patria Luccensis, Julii II. Nepos, naturæ debitum solvit. Is erat primo Luccæ, postea Patavii, & Cremonæ Episcopus, necnon Beneventanus Archipræsul, demum a laudato Pontifice Anno millesimo quingentesimo tertio purpura donatus fuerat.

§. XXII.

*Mors Cardinalis Georgii Costæ
Ulyssiponenfis.*

Ultimus inter Cardinales, qui tum e *Aubery hist.*
vivi excesserant, recensetur Geor- *Card.*
gius Costa Lusitanus, in Dioecesi Ulyssi-
ponensi obscuris parentibus natus, meri-
tis